



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

De honore episcopo & presbyteris a diaconis tribuendo. Capvt XVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

258 SILVESTER P.I. CONCILIVM CONSTANTINVS IMP.

clesia transferatur , non est in alia recipiendus , sed potius cogere eum debent , vt ad locum suum redat : quod si noluerit , eiiciendus est in totum ex ecclesia , deponendusque ex ordine , & communione fidelium illorum qui ad illam ecclesiam pertinent , priuandus .

Ne quis fiat monachus sine licentia episcopi , & quare requiratur licentia.

C A P V T XIV.

Si quis laicus voluerit monachus fieri sine licentia episcopi sub cuius potestate est , mouendus est gradu in quo est , & non est recipiendus in religionem . Hoc autem idcirco statuimus , ne iste vxorem , aut filios , aut alios similes , quibus auxilium debet , deserat .

De clericis aut religiosis fenerantibus deiiciendis de gradu.

C A P V T XV.

Can. apost.
44. Lao. 4.
Atcl. 2. ca.
14. Carth.
Græc. c. 5.
Synod. 6. c.
10. Nic.
Græc. 17.

Si quis eorum qui sunt in clero , aut subiectus regulæ , auaritiæ & turpi lucro studeat , aut data pecunia fenori , centesimas exigat , aut sesquiplas , deiciatur ex gradu , & sit alienus a regula .

De honore episcopo & presbyteris a diaconis tribuendo.

C A P V T XVI.

Can. Nic.
Græc. 18.

Diaconus non debet excommunicare priusquam episcopus , neque priusquam presbyter , quia gradus diaconi infra gradum presbyteri est ; scire que debet officii sui esse ministrare episcopo & presbyteris . Sciatque diaconus facultatem suam , cui neque licet communicare nisi postquam epi-

ANNO CHRISTI 325. scopo & presbyteris ministraverit : neque ei rur-
sus licet ministrare sacramentum communionis sa-
cerdoti , siquidem ministrare hoc sacramentum ,
proprium est presbyteri , & non diaconi ; presby-
teris enim data est hæc gloria : neque decet ut dia-
coni sedeant inter presbyteros , aut sint ad latus eo-
rum , nec intus in sacrario , vbi est altare ; neque
foris , nisi de sententia eorum : quandoquidem
gradus diaconi inferior est gradu illorum . Diaco-
ni , qui huic decreto contradixerint , eiificantur ex
gradu suo , & a Synodo excommunicentur .

Hier. in ep.
ad Euagriū
85. Romæ
presbyteri
sedent, &
stant diaco-
ni.

*De ratione & modo recipiendi conuersos ex hæresi Pauli
Samosatensis.*

CAPUT XVII.

Si quis ex hæresi Pauli Samosatensis conuerta-
tur ad fidem ecclesiæ , debet iterum baptizari : &
in quocumque gradu ecclesiastico antea fuerit , si
conuertatur digne & cum humilitate , eiusque vi-
ta antea reprehendi non possit , sed laudari po-
tius; restituendus est in gradum suum , & imponen-
dæ ei manus , vt imponi solent ei cui nunquam an-
tea impositæ fuerunt , cum benedictione diaconali , id est , quæ fit super ministros ecclesiæ . Sed si
aliquis eum accusauerit , & non fuerit dignus gra-
du propter malam fidem & prava opera , non est
ordinandus . Quod si aliqua diaconissa ex ista hæ-
resi ad fidem conuertatur , oportet iterum eam ba-
ptizare , & cum ea benedictione recipere , quæ su-
per sacerdalem fieri solet ; examinandumque , vt su-
pra diximus , vtrum vere conuertatur .

Can. Nic.
G. R. 19. c-
pirone hu-
ius Innoc. I.
epift. 22. ad
Rufum Eu-
scibium ex-
planat hunc
Canonem.

Concil. Tom. 2.

Kk ij